

solemnitates, quæ ad ejusdem confectionem requiruntur, quinque nempe testes. Communis et certa, patetque conclusio ex tot. tit. ff. *de Adim. Legat. et Inst. de Adempt. Legat.* ibi: «Ademptio legatorum, sive eodem testamento adimantur, sive codicillis, firma est, sed et sive contrariis verbis fiat ademptio, velut si quis ita legaverit, do, lego: ita adimatur: non do, non lego: sive non contrariis, sed aliis verbis.» Ex quibus verbis satis patet, legata verbis expressis in et extra testamentum revocari posse; et in hoc differt revocatio legatorum a revocatione testamenti, utpote quod solis verbis ante decennium valide revocari nequit, per dicta n. 743.

765. *Revocantur etiam deletionem, vel cancellationem, aut confectionem alterius testamenti: non vero alterius legati nisi contrarii.* — Facto revocantur legata, quando delentur, cancellantur, aut calamo inducuntur, l. I. prin. et l. III. ff. *de His, quæ in testam. delent.* Item, quando totum testamentum per confectionem alterius, aut per totalem cancellationem vel destructionem, aut revocationem verbalem rumpitur, aut revocatur: eo quod juxta dicta n. 663. rupto vel invalido existente testamento legata non debentur. Excipe limitationes n. 664. positas, et casum, quo nomen hæredis, non vero legata delentur, aut cancellantur juxta dicta n. 751. Cæterum licet confectione testamenti alterius revocetur prius testamentum, et legata ei inserta; tamen confectione posterioris legati, vel codicilli, legatum aut codicillus antecedens non revocatur, nisi in quantum eidem contrarius existit, arg. § 3. Instit. *de Codicill.*

766. *Revocari etiam possunt solo nutu, et quomodo?* — Quod etiam sola «nuda voluntate, signis, nutu, v. g. vel litteris» etiam ad interrogationem alterius manifestata revocari queat legatum, aperte docetur l. *Si quis.* 3. § 41. ff. *de Adim. Legat.* ibi: «Non solum autem legata, sed et fideicommissa adimi possunt, et quidem nuda voluntate.» Dummodo legans alia sibi perfecte præsens, loqui tunc possit, vel si non morbo aliquo accidentali absque infirmitate lethali sit impeditus, arg. l. *Nutu.* 21. ff. *de Legat.* 3. Si enim ex mera infirmitate et debilitate loqui non amplius posset, sicque morti jam propinquus esset, solo nutu ad interrogationem alterius dato legatum revocare probabiliter non posset, eo quod taliter constitutus idem nec facere valeret per leges, et rationes supra n. 63. et 64. allegatas; quamvis Molina,

disp. 127. n. 6. et 212. n. 1; Covarruvias, in c. *Cum ibi.* h. t. n. 3. et multi alii contendunt, etiam in tali statu legatum solo nutu, et fieri, et revocari posse, arg. l. *Nutu.* 21. ff. *de Legat.* 3. et l. *Cum proponebatur.* 64. *de Legat.* 2. quorum sententia improbabilis sane non est.

767. *Tacite revocatur, si illud in vivis alteri donet testator: etsi donatio sit invalida.* — Tacite revocatur, vel potius revocatum ipso jure censetur legatum variis modis, et quidem primo: «Si rem legatam testator vivus alii donaverit, omnimodo extinguitur legatum, nec distinguimus utrum propter necessitatem rei familiaris, an mera voluntate donaverit,» sunt verba l. *Rem legatam.* 18. ff. *de Adim. Legat.* Nec refert, si donatio sit invalida, l. *Legatum.* 24. ff. eod. ibi: «Sed etsi non valeat donatio, tamen minuisse legatum, intelligitur.» Secundo revocatum censetur, si nulla urgente necessitate titulo oneroso illud alienet, vendat v. g. vel commutet, l. *Fideicommissa quæcunque.* 11. § *Si rem.* 12. ff. *de Legat.* 3. et l. *Rem legatam.* 18. ff. *de Adim. Legat.* ac Glossa, in l. *Qui post.* 7. *De dicit c. de Legat.* Porro non reviviscit legatum per donationem, vel alienationem revocatum etsi illud postea testator emptione, vel alienatione iterum recuperet, l. *Cum servus.* ff. *de Adim. Legat.* et l. *Qui res.* 98. § 8. ff. *de Soldat.*

768. *Vel necessitate non urgente alienet titulo oneroso.* — Quando vero necessitate aliqua urgente rem legatam titulo oneroso alienat testator, puta, quia alias erat peritura, vel tunc necesse erat ad providendam familiam legatum revocatum non censetur, sed adhuc valet, debetque hæres illud redimere, vel estimationem ejus dare; nisi idem hæres sufficienter probet intentionem et voluntatem testatoris fuisse, legatum tali alienatione adimere, seu revocare. Idem est, si necessitate compulsus legatum hypothecæ, aut pignori subjicit. Ita expresse statuitur § *Si rem suam.* Instit. *de Legat.* et l. *Fideicommissa.* 11. § *Si rem.* 12. ff. *de Legat.* 3. ibi: «Si rem suam testator legaverit, eamque necessitate alienaverit, fideicommissum peti posse; nisi probetur adimere ei testatorem voluisse: probatione autem mutata voluntatis ab hæredibus exigendam.» Concordat, l. *Qui post.* 3. c. *de Legat.* Atque in hoc sensu ad concordanda jura intelligi debet, l. *Si ex toto.* 8. prin. *de Legat.* 1. Nec obstat, quod per donationem etiam urgente necessitate

factam censetur legatum, cit. l. *Rem legatam.* ff. *de Adim. Legat.* quia ratio diversitatis allegatur in ead. l. *Rem legatam* ad finem; ubi dicitur, quod distinctio inter donationem liberaliter, et ex necessitate factam «in munificentiam donantis non cadat; cum nemo in necessitatibus liberalis existat.»

769. *Vel si graves inimicitie oriantur inter testatorem et legatarium; vel hic illi gravem irroget injuriam.* — Tertio tacite ipso jure revocatum censetur legatum, si capitales et graves inimicitie oriantur inter testatorem et legatarium: non item, si solummodo leves; dicitur namque l. III. § fin. ff. *de Adim. Legat.* «Siquidem capitales, vel gravissimæ inimicitie intercesserint, ademptum videri, quod relictum est: sin autem levis offensa, manet fideicommissum,» et l. *Si inimicitie.* 9. ff. *de His, quæ ut indignis.* Si tamen ante mortem in amicitiam redeunt, reviviscit iterum legatum; prout verbis fere formalibus statuitur l. IV. ff. *de Adim. Legat.* Idem est, si legatarius testatori, verbo aut facto gravem irroget injuriam, aut gravem accusationem vel damnum attulerit, textu expresso cit. l. *Si inimicitie.* 9. ff. *de His, quæ ut indignis.* et l. XXXI. § *Seja.* 2. ff. *de dim. Alegat.*

770. *Item, si legatarius ante testatorem moriatur.* — Quarto revocata, vel potius expirata censetur legata, si legatarius ante testatorem, vel ante completam conditionem moriatur, vel si hæreditas non adeatur, ut patet ex dictis.

771. *Solemnitas ad revocationem legati requisita, quæ?* — Resp. III. Ad hoc, ut revocatio legati valeat, adhiberi debent eadem solemnitates, quæ ad confectionem legati requiruntur, septem nempe testes, casu quo legatum verbis aut signis revocatur, Molina, disp. 212. n. 1. et Glossa recepta in l. *Fideicommissum.* c. *de Fideicommissis.* et communis doctorum, arg. § *Ex eo.* 7. Instit. *Quibus mod. testam. infirm.* et § un. Instit. *de Adim. Legat.* In casu autem quo legatum facto, vel tacite revocatur, tantæ solemnitates necessariæ non sunt, sed sufficit, si aliunde satis constet, vel sufficienter ordinaria probatione duobus nempe testibus omni exceptione majoribus probetur, Molina, loc. cit. n. 3; Covarruvias, *de Testam.* p. 2. *Rubrica.* n. 2. Hinc sufficit, si facto constet, legatum esse cancellatum, delectum, etc. vel si duobus testibus probari possit, quod legatum fuerit alienatum, vel quod graves inimicitie fuerint exorta, etc.

Porro quæ de revocatione legatorum dicta sunt, proportionaliter de codicillis intelligenda sunt; eo quod illa extra testamentum non nisi per hoc fiant.

Hic etiam aliqui agunt de commutatione legatorum piorum in alios usus pios faciendam post mortem testatoris. Verum de hoc § seq.

## § XXIII.

DE EXECUTORIBUS, ET EXECUTIONE TESTAMENTORUM ET ALIARUM ULTIMARUM VOLUNTATUM.

772. *Executor testamenti, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit executor testamenti, vel alterius ultimæ voluntatis? Resp. I. Executor ad propositum ille est, et dicitur qui vel ex dispositione legis, vel testatoris, vel judicis exequitur defuncti voluntatem. Ita in re communis. Definitionis bonitas inde constat, quia convenit omni et soli definito, ejusque naturam clare explicat, uti magis patebit ex sequenti conclusione, qua

773. *Alius est legitimus, alius testamentarius, alius dativus: alii universales, alii particulares.* — Resp. II. Executores ultimarum voluntatum varii sunt, varieque dividuntur. Alii enim sunt legitimi, alii testamentarii, alii dativi. Et quidem legitimi, sunt et dicuntur illi, qui ab ipso jure seu a lege dantur, sive quibus munus exequendi a lege competit. Testamentarii sunt, qui ab ipso testatore in testamento dantur, et designantur. Dativi sunt, qui a iudice, aut magistratu dantur, casu quo hæres institutus executor esse nequit, aut deputatus in testamento munus exequendi accipere nolit, vel non possit. Vocantur ita ad imitationem tutorum, quorum alii sunt legitimi, alii testamentarii, alii dativi, arg. tot. tit. ff. *de Testament. tutel.* et tit. ff. *de Tutor. et curat.* Executores testamentarii, et dativi rursus alii sunt et dicuntur universales, quibus nempe totius ultimæ voluntatis executio committitur. Alii particulares, illi videlicet, quibus non integram voluntatem, sed unam vel alteram tantum dispositionem particularem exequi, committitur.

774. *Si nullus in testamento deputatur, executor illius est hæres, exceptis legatis pro alimentis pauperum.* — Quæritur I. Quinam de jure sint executores? Resp. I. Si testator in testamento nullum executorem denominat, ipso jure executor est hæres institutus, eique munus exequenti de jure incumbit, adeo ut

integram defuncti voluntatem etiam quoad legata pia exequi possit, et teneatur, si hæreditatem adit. Molina, disp. 247. n. 2; Abbas, in c. III. h. t. n. 4; Pirhing, h. t. n. 401; Layman, lib. III. tract. VI. cap. XI. q. 1; Covarruvias, in c. III. h. t. n. 11. et communis aliorum, arg. c. III. et c. *Si hæredes*. 6. h. t. juncta l. *Nulli*. 28. c. *de Episc. et cleric.* et novell. 131. cap. x. Limita tamen conclusionem in casu, quo aliqua relicta sunt pro redemptione captivorum, vel pauperum alimentis: horum enim executio non ad hæredes, sed loci episcopum tanquam communem patrem pauperum, et miserabilium personarum de jura pertinet, uti ex citatis juribus, et cap. XI. cit. novell. 131. allegati docent doctores; quamvis et in hoc attendenda sit consuetudo loci, ut bene observat Layman, loc. cit. n. 4.

775. *In defectu aliorum executorum, executor est episcopus, præsertim in relictis ad causas pias.* — Resp. II. In defectu aliorum executorum, munus exequendi pertinet ad episcopum loci præsertim in relictis ad causas pias: veluti si testator animam suam pro hærede instituit, aut pauperes, vel causas pias in genere. Layman, loc. cit. n. 4; Molina, loc. cit. n. 4; Sylvester, §. *Testamentum*. 2. q. 8; Abbas, loc. cit. n. 4. arg. cit. novell. 131, cap. XI. Idem est, si hæres aut executor deputatus voluntatem defuncti exequi negligit. Layman, et doctores citati, arg. c. *Tua*. 17. h. t. et ibi Glossa, §. *Pius voluntatibus*. juncta l. *Hæreditas*. 50. ad finem, ff. *de Petit. hæred.*

776. *Executor potest deputari unus, vel plures, clerici, vel laici, etiam feminae.* — Quæritur II. Quinam possint deputari, et esse executores ultimarum voluntatum? Resp. I. Potest testator unum, vel plures deputare executores ultimæ suæ voluntatis: hosque vel masculos, vel feminas, vel clericos, vel laicos, sive ex hæredibus, sive extraneis. Molina, disp. 247; Layman, loc. cit. n. 2; Pirhing, loc. cit. n. 402. et communis aliorum. Quod non tantum unus, sed plures, et quidem tam clerici, quam laici esse possint executores, patet ex c. *Joannes*. 19. h. t. ibi: « Joannes clericus, et P. laicus executores ultimæ voluntatis. » Quod etiam feminae esse possint executrices ultimæ voluntatis, colligitur ex c. *Nos quidem*. 3. h. t. et l. *A Filio*. 15. prin. ff. *de Alim. et Cibar. legat.* et tenet præter citatos etiam Bartolus, in cit. l. *A Filio*; Covarruvias, cap. XVII. n. 3. cum

communis aliorum. Imo admittitur ad hoc officium etiam minor 25 annis; dummodo septemdecim annos excesserit, Molina, loc. cit. n. fin.; Sylvester, loc. cit. q. 1; Pirhing, loc. cit. n. 402; Glossa, in cap. II. h. t. in 6. §. *Religiosus*, ubi testatur etiam de consuetudine. Ratio est, quia in hac ætate constitutus quis potest esse procurator ad negotia, textu claro c. *Qui generaliter*. 5. §. fin. *de Procurat.* in 6.

777. *Etiam religiosus cum licentia superioris.* — Resp. II. Etiam religiosi quicumque (exceptis fratribus minoribus) possunt deputari, et esse executores ultimarum voluntatum, tam quoad profanas, quam pias causas; dummodo ad exequendum habeant licentiam a legitimo superiore. Communis accerta ob claram juris dispositionem cap. II. h. t. in 6. et Clem. un. h. t. ubi insuper disponitur, quod religiosus etiam exemptus teneatur reddere rationem episcopo de munere executionis peracto. Porro per superiorem, qui licentiam dare potest, intelligitur ad propositum, superior localis, seu prælatus monasterii, conventus, aut domus religiosæ, nisi specialia statuta aliud ordinent, Layman, loc. cit.; Pirhing, h. t. n. 408; Sanchez, lib. VI. *Moral.* n. 15 et 16.

778. *Sine qua secundum aliquos executio est valida.* — Utrum autem executio, quam religiosus absque licentia superioris sui suscipit, ac peregit, valeat, multum disputant doctores, et quidem affirmativam cum communi aliorum tenet Felinus, in cap. II. *de Judiciis*; Layman, loc. cit. n. 4; Pirhing, h. t. n. 409; Sanchez, loc. cit. Ratio eorum est, tum quod licet sacri canones prohibeant, tamen non annullent executionem a religioso absque licentia superiore faciam: tum quia, quamvis religiosus *velle et nolle* non habeat, habet tamen consensum naturalem, qui una cum consensu testatoris sufficiens esse videtur ad hoc officium, arg. l. *Filiusfamilias*. §. *Veterani*. ff. *de Procurat.* ubi habetur, quod licet miles esse nequeat procurator in judicio, tamen, si non repellatur, actus ab eo gestus valeat.

779. *Secundum alios vero, invalida.* — Verum negativam docet, et egregie propugnat Covarruvias, *de Testament.* cap. XVII. n. 2; Molina, loc. cit. n. 9; Sylvester, et alii. Probant suam sententiam ex l. *Non dubium*. c. *de Leg.* ubi decernitur, « ut ea, quæ Lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur;

## § XXIII. DE EXECUTORIBUS ET EXECUTIONE TESTAMENTORUM, ETC.

licet legislator prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est; » atqui cap. II. h. t. in 6. expresse prohibentur, imo ibidem cit. cap. II. h. t. in 6. expresse dicitur, quod religiosus « non possit esse executor » sine licentia sui superioris. Et quidem ex ea ratione, quia *velle et nolle* non habet; ergo. Nec sufficere videtur consensus naturalis, alias enim etiam minor septemdecim annis, utpote naturali consensu gaudens valide esse posset executor. Neque in contrarium quid probat l. *Filiusfamilias*; tum quia id jura expresse concedunt; tum quia longe strictius deponit monachus *velle ac nolle* quam miles. Confirmatur ex Glossa communiter recepta in reg. 1. jur. in 6. ubi manifeste ostenditur, quod quando dicit lex « non potest esse » actus in contrarium gestus non tantum illicitus, sed et invalidus sit. Quorum consideratione posterior hæc sententia sane videtur probabilior, et juri conformior: licet prior probatione non careat.

780. *Ipsi superiores sine ulteriori licentia esse possunt executores.* — Illud tamen hic notandum, quod superior, qui alteri dare licentiam exequendi ultimam voluntatem, et ipse valeat sine ulteriori licentia exequi talem ultimam voluntatem: quia universaliter possunt superiores uti facultate, quam aliis præbere valent: prout bene docent Molina, loc. cit. n. 9; Sylvester, loc. cit. q. 2. et communis aliorum. Possint etiam religiosi extra monasterium degentes, v. g. aliquo beneficio Ecclesiæ provisi, sine superioris licentia dictum munus assumere, juxta Glossam, in c. II. in prin. §. *Religiosus*; quia cum hic et nunc sub obedientia prælati non vivant, aliquo modo *velle et nolle* habent, consequenter cessante ratione legis, sine licentia petita executores esse possunt.

781. *Fratres minores non possunt esse executores.* — Resp. III. Fratres minores nullatenus possunt esse executores ultimarum voluntatum, etiam ad causas pias factarum; neque possunt superiores ad hoc munus eisdem dare licentiam. Communis ac certa, textu claro Clem. *Exivi*. §. *Verum etiam de Verb. signif.* ibi: « Prædictis fratribus non licet, nec competit, quin potius considerata puritate status sui debent sibi scire interdictum, quod hujusmodi executionibus, et dispositionibus se exponant. » Ratio ibidem et præponitur, et subjungitur: « cum dicti ordinis professores pro nulla re temporali pos-

sint in judicio experiri, etc., hæc autem sæpius absque litigio, et contrectatione, vel administratione pecuniæ nequeant exponi. »

782. *Possunt tamen dare executoribus consilium.* — « Verumtamen in his dare consilium, ipsorum statui non obsistit, » pergit citat. Clem. *Exivi*, ob rationem, quam statim subjungit, « cum ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla jurisdictio, sive actio in judicio, sive dispensatio tribuatur. » Ex quo Covarruvias, *de Testam.* cap. XVII. n. 1. Sanchez, lib. VI. *Moral.* cap. XI. n. 28; Barbosa, in cit. Clem. *Exivi. de Verb. signif.* n. 26. Molina, disp. 247. n. 12. et communis aliorum inferunt, posse fratres minores dare consilium executionis non tantum, quando libere interrogantur ab executoribus, sed etiam posse testatorem mandare executoribus, ut ad executionem non procedant, nisi petito prius consilio a fratribus; quamvis consilium datum sequi executores non teneantur; uti bene notat Sanchez, lib. VI. *Moral.* cap. XI. n. 28; Barbosa, loc. cit.; Pirhing, h. t., n. 412; Roderiquez, *Quæst. reg.* tom. III. q. 70, a. 2. et communis aliorum. Ratio est, quia universaliter jussus aliquid facere cum consilio alterius, tenetur quidem consilium petere, ast non tenetur sequi, ut habet communis apud Sanchez, loc. cit. et lib. I, *de Matrim.* disp. 34, num. 24.

783. *Potest etiam testator committere fratri minori, ut ipse aliquem executorem denominet. item potest obligare executorem, ut non nisi illis pauperibus, vel causis piis legata distribuat, quos denominaverit frater minor.* — Ulterius docet Sanchez, cit. lib. VI. *Moral.* cap. XI. n. 32 et 41; Abbas, in Clem. *Religiosus*. n. penult. *de Religios.*; Covarruvias, loc. cit.; Barbosa, loc. cit.; Bartolus, Emanuel Roderiquez, *Quæst. reg.* tom. III. q. 70, art. 2, contra Molinam, disp. 247, n. 12. et alios a Sanchez citatos, posse testatorem committere fratribus minoribus, ut ipsi denominent unum, vel plures executores: item præcipere posse executoribus, et non nisi illis pauperibus, vel causis piis hæreditatem, vel legata distribuant, quos fratres minores elegerint, vel commendaverint. Ducuntur hoc fundamento, quod in tali casu cesset ratio prohibitionis; cum hoc munus sine litigio, et contrectatione vel administratione pecuniæ omnino valeant exequi: quale enim litigium, contrectatio, vel administra-

tio pecuniæ? si dicente testatore: « Ille sit meus executor, quem hic, aut ille frater minor, aut guardianus denominaverit. » Guardianus dicat: « Ego denomino Caium: » vel quando testator in testamento ita ordinat: « Lego mille florenos distribuendos pauperibus illis, quos guardianus loci hujus denominaverit, vel pro quo rogaverit, aut quem commendaverit. » Et guardianus dicat: « Ego denomino, et commendo hos vel illos: » vel si testator ita disponit: « Lego annuatim mille distribuendos viginti pauperibus illis, quos recommendaverit aut denominaverit ille vel hic frater minor: » et designatus frater certos recommendat. Accedit, quod ita denominare pauperes, vel executores, sit solummodo facti, et non juris, arg. l. *Cum pater*. 17. § *Hæreditatem, de legat. 2.* Hinc non immerito hæc doctrina contra Molinam manuteneri, et vel ideo etiam sine scrupulo a fratribus practicari potest; quia, præterquam quod inde in nullo maculetur eorum status, persæpe testatores rationabilissimum tale munus committunt fratribus, utpote quibus ex confessionali, vel aliunde plerumque magis quam aliis noti sunt veri, et eleemosyna præ cæteris digni pauperes. Vide Emmanuel Roderiq., loc. cit.

784. *Regulariter nullus cogi potest ad suscipiendum munus executoris.* — Quæritur III. An executor in testamento deputatus cogi possit ad exequendam ultimam defuncti voluntatem? Resp. Regulariter loquendo talis cogi non potest, ut munus exequendi in testamento sibi oblatum acceptet, et exequatur, etiamsi dispositio sit ad causam piam: postquam tamen tacite vel expresse acceptavit, omnino etiam invitatus cogi potest, ut defuncti voluntatem exequatur, ac proin eidem amplius liberum non est, munus semel susceptum iterum recusare. Abbas, in c. *Joannes*. 19. h. t. n. 3. et ibi Joan. Andreas, Molina, disp. 248. n. 3; Covarruvias, de *Testament.* cap. xix. n. 3; Pirhing, h. t. n. 113. et communis aliorum, arg. cit. c. *Joannes*. 19. h. t. ibi: « Post susceptum mandatum cogi debent. » Ratio est; quia universaliter « mandatum non suscipere cuius liberum est susceptum autem consummandum est. »

785. *Ex causa tamen rationabili clericus ab episcopo, et laicus a iudice suo ad id cogi potest.* — Dixi « regulariter; » quia ob causam rationabilem potest episcopus clericum in testamentum executorem denominatum cogere, ut munus suscipiat, vel nullo execu-

tore denominato, eidem hoc mandare, ut voluntatem defuncti exequatur; in quo tamen casu non erit executor testamentarius, sed dativus, vel potius commissarius aut delegatus episcopi, Abbas, loc. cit.; Covarruvias, loc. cit. et alii doctores n. præced. citati. Ratio est, quia universaliter potest episcopus, quando eidem executio aliqua competit, munus suum alteri delegare, delegatumque ut obediat, compellere; dummodo sit suæ jurisdictionis, ut bene advertit Abbas, loc. cit.; Sylvester, §. *Testamentum*. 2. q. 3. arg. l. un. c. *Qui pro sua jurisdictione*. Pariter potest iudex laicus ob justam causam laicam suæ jurisdictionis compellere, ut munus executionis suscipiat, et peragat, arg. cit. l. un. c. *Qui pro sua jurisdictione*.

786. *Executores, quam primum possunt, tenentur exequi ultimam voluntatem.* — Quæritur IV. Quandonam executores teneantur exequi ultimam voluntatem defuncti? et a quo negligentes compelli possint? ac quibus pœnis subiaceant debito tempore non exequentes? Resp. I. Executores tenentur, quamprimum poterunt, exequi ultimam voluntatem, nisi certum tempus ab ipso testatore sit designatum. Abbas, in c. *Si hæredes*. 6. n. 5; Covarruvias, ibid. n. 4; Layman, lib. III. tract. V. cap. xi. n. 12; Sylvester, §. *Testamentum*. 2. q. 6 et 9. arg. c. *Si hæredes*. 6. h. t. et l. *Cum res*. 47. ff. de *Legat. 1.* ubi expresse præcipitur, ut legata sine mora præsententur. Ratio est, quia adita per hæredem hæreditate, etiam legatarius statim evadit dominus legati, l. *Si tibi homo*. 86. § 2, ff. de *Legat. 1.* Hinc Layman, Sylvester, et alii docent, mortaliter peccare executores, si ex negligentia diu differant exequi ultimam voluntatem. Nec obstat, quod juxta dicta infra n. 794. citanda annus concedatur executoribus, pro exequendis ultimis voluntatibus ad causas profanas, et sex menses ad causas pias. Nam contra est, quod ibi tantum designetur tempus in ordine ad incurrendas pœnas, si illo elapso executores exequi negligunt defuncti voluntatem.

787. *Nisi certum tempus a testatore sit designatum.* — Dicitur autem notanter, « Nisi certum tempus ab ipso testatore sit designatum: » hoc enim in casu sufficit voluntatem exequi tempore per testatorem designato, arg. novell. 22. cap. II, ubi dicitur, quod voluntas testatoris sit pro lege tenenda, quamvis illud prævenire liceat; cum talis præventio non sit contra testatoris volunta-

tem. Molina, disp. 251. n. 4; Abbas, in c. *Nos quidem*. 3. n. 10, h. t.; Pirhing, h. t. n. 12. et communis aliorum arg. l. *Post mortem*. 11. c. de *Fideicommissis*.

788 et 789. *Tam laicus iudex, quam episcopus potest compellere executores negligentes, sive sit ad causam piam, sive profanam.* — Resp. II. Tam iudici laico, quam ecclesiastico episcopo nempe competit potestas monendi, ac compellendi executores laicos ad exequendam voluntatem defuncti, sive hæreditas, aut legata sint ad causam profanam, sive piam, ita ut hæc causa sit mixti fori, deturque locus præventioni, Abbas, in c. *Si hæredes*. 6. n. 3; Covarruvias, ibid. n. 4; Molina, disp. 250, n. 4; Pirhing, h. t. n. 115, cum communis aliorum. Et quidem quod episcopo competat hæc potestas, si legata, vel alia voluntas defuncti sit ad causas pias, etsi testator sit laicus, controversia caret, textu claro c. *Tua*. 17. h. t. ibi: « Cum in omnibus ultimis piis voluntatibus per locorum episcopos providendum sit, ut secundum defuncti voluntatem cuncta procedant, etc., mandamus, quatenus executores testamentorum hujusmodi, ut bona ipsa fideliter, et plenarie in usus prædictos expendant, mentione præmissa compellas. » Concordat, c. *Nos quidem*. 3. et c. *Si hæredes*. 6. h. t. Quod autem etiam laico in casu, quo voluntas est ad causam piam, competat dicta potestas, patet ex Authen. *Hoc amplius, de Fideicommissis*. et novell. 131. cap. *Si quis ædificationem*. 10. ubi etiam legata pia, « providentia locorum episcopi, et iudicis civilis jubentur compleri. »

Porro, quod in casu, quo dispositio est ad causam profanam, et testator fuit laicus, iudici laico competat potestas compellendi executores, certum est apud omnes. Quod vero in tali casu eadem potestas etiam episcopo competat, etsi testator et executor sit laicus, tenet Glossa, in c. *Si hæredes*. 6. §. *Ab Episcopo*. h. t.; Abbas, ibid., n. 7; Molina, disp. 250. n. 5; Covarruvias, ibid. n. 3; Hostiensis, in c. *Joannes*. h. t.; Pirhing, h. t. n. 115. et teste Covarruvia. Communis aliorum, arg. cit. c. *Si hæredes*. 6. h. t. ubi absque ulla distinctione episcopo loci tribuitur facultas compellendi executores ad exequendam defuncti voluntatem. Ratio est, quia iudicis ecclesiastici est, subvenire personis miserabilibus, ac destitutis auxilio, c. *Super quibusdam*. 26. de *Verb. signif.* Talis autem persona censetur etiam esse defunctus,

utpote quia ipse agere non potest, ut voluntas sua adimpleatur. Abbas, loc. cit. et in c. *Cum esses*. 10. n. 33. h. t.

790. *Legatario non capace petendi legatum, tenetur iudex ex officio compellere executores.* — Resp. III. Quando is, cui aliquid in testamento relictum est, id non exigit, seu exigere non potest, uti sunt fratres minores juxta dicta supra, potest ac tenetur iudex ex officio sive ecclesiasticus, sive laicus compellere executores, ut solvat. Abbas, in c. *h. t.*; Molina, disp. 251, n. 10. Layman, lib. III. tract. VI. cap. x. n. 15. Barbosa, Pirhing, h. t. n. 118. et alii, arg. cit. c. III. h. t. ubi nemine petente Episcopus ex officio processit.

791. *Iudex laicus executores clericum compellere non potest.* — Illud etiam notandum, quod etsi juxta dicta iudex laicus possit executores compellere ad exequendam ultimam voluntatem pro causis piis factam, si executor est laicus, non item, si est clericus; eo quod in hunc penitus nulla jurisdictio iudici laico competat, per vulgaria.

792. *Iudex post aditam hæreditatem, statim compellere potest executores, ut exequatur.* — Resp. IV. Iudices præsertim ecclesiastici, statim post aditam ab hærede hæreditatem monere, quin et compellere possunt executores, ut voluntatem defuncti executioni mandent; etiamsi testator id expresse inhibuerit. Prima pars conclusionis patet ex n. 785, hoc ipso enim, quod juxta ibidem dicta teneantur executores voluntatem defuncti statim adimplere. Arg. l. *Cum res*. 17. in prim. ff. de *Legat. 2.* et l. *Si domus*. 71. § *In pecunia*. ff. eod. possunt a iudicibus ad id nolentes compelli, cum quivis compelli valeat, ut obligationi suæ satisfaciatur: ut proin licet executores non incurrant pœnam ab ipso jure statutam, nisi intra tempus a jure determinatum voluntatem exequi negligant uti patebit ex conclusionibus n. 794, et sequentibus; tamen ante illud tempus elapsum possunt arbitrariis pœnis ad executionem compelli: prout bene docet Covarruvias, in c. *Si hæredes*. 6. h. t. n. 4, et ibi Abbas, n. 5; Cardinalis, ibid.; Pirhing, h. t. n. 129.

793. *Etsi testator id prohibuerit.* — Altera pars, quod executores compelli possint, etsi testator id prohibeat, aperte docetur c. *Tua*. 17. h. t. ibi: « Licet enim a testatoribus id contingeret interdici. » Ratio est, quia private persona non potest generalem constitutionem publici juris ecclesiastici vel civilis im-